

tum in cœtu hominum, tum ipse mecum, & quum voce pã-
 ãeo, & quum meditatione secedo, omni loco, actu, habitu, &
 tempore. Nec mirum, si quis terminum non statuat tam gra-
 ta profitendi, quum TU finem non feceris benefaciendi.
DEUS TE amet, Principum Honoratissime, qui in-
 tegritati, ac in colendo Numine Tuo industriæ, pretium apud
 TE statuisti: Nuncupabimus vota & pro æternitate Imperii
 Tui, & pro Tua salute; ut TE sospitem perpetuoque felicem
 præstet DEUS, ceu Tu nos præstitisti; ut seris subditorum
 nepotibus ac pronepotibus TE seruet, ceu avis servatus es;
 utque de custodia fortunæ Tuæ omni tuentem oculum nus-
 quam dimoveat. Illa sancti adorandique Capitis Tui Cæsa-
 ries, ad augendam majestatem festinatis senectutis insignibus
 ornata, non ratione dierum aut mensium grandævum TE
 Principem faciat, sed ceu de operum multitudine, & rerum
 incomparabili prudentia à TE perfectarum dignitate, testa-
 tur, sic diu TIBI ornamento, diu nobis honori & solatio sit.
 Ita verò immortalitatem munerum Tuorum sempiternis of-
 ficiis colemus, ut omne negotium omneque otium in colen-
 dis rebus Tuis, implendisque jussibus ac mandatis, colloca-
 verimus ac posituri simus. Ipse præsertim, non ab hac solum
 juventute mea vigente, sed usque dum anima defecerit, sum-
 mis opibus enitar ac efficiam, ut gratia in me Tua rectè pro-
 cesserit, debitaque semper pietate ipsam reverear & adorem.
 Non interea certissimi debiti tantillum pignus, sed pium,
 pertenuem hanc *de Executoribus ultimarum Voluntatum
 Commentationem*, aspernaberis; quæ sponte gradum ad TE
 ferebat, postquam & illud Trajani encomium diu jam Tuum
 fecisti, quod ultimæ morientium voluntates Tuis auspiciis
 exitum habent. Testantur pagellæ meæ ex Provinciali Jure
 Tuo plus decima vice; ut adeò rectè TIBI Plinius aliquis dix-
 rit; *in eodem maximi à TE, Princeps, Beneficij genere ponendum
 est, quod Testamenta nostra secura sunt.* Iterum igitur & vehe-
 men-